



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro Quinto Decretalium. In Quo De Judicio, Seu Ordine Judiciario criminali, nec non de criminibus Ecclesiasticis, & secularibus ... agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1677

Titulus. XXXIV. De Purgatione Canonica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98302](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98302)

TITVLVS XXXIV. DE PURGATIONE CANONICA.

§. I. Quid sit purgatio in genere, & quatuorplex, & à quo indicenda sit purgatio Canonica, & quibus indicendi possit, ac debeat?

ASSERTIO I. Purgatio, prout hic accipitur, est ostensio innocentiae de objecto crimine: eaq; duplex est, vulgaris, quae à Jure reprobatur, & Canonica, quae à Jure est inventa, & approbata, n. 1. Aff. 2. Purgatio Canonica indicenda est à Jure competente, videlicet Episcopo, n. 2. Potest autem Episcopus Diocesanus suum infamatum de crimine compellere ad se purgandum, nisi ab eo legitime appellaverit, c. Nos inter. 6. h. t. cit. n. 2. & 3. Assert. 3. Non tantum Clericis secularibus, sed etiam regularibus utriusque sexus indicenda est purgatio Canonica, si publice infamati fuerint de crimine, vel graviter suspecti, & testes, vel aliae probationes deficiant, c. 3. h. t. n. 4. Praeterea publice infamatus de defectu natalium non debet promoveri ad Ordines, nisi prius canonice se purget, c. Accedens. 14. h. t. n. 5. & 6.

§. II. Quando sive in quibus casibus indicenda sit purgatio Canonica, vel non?

ASSERTIO I. Ea indicendi debet, si nullus appareat legitimus accusator, & aliquis sit publice infamatus de crimine apud bonos, & graves viros, c. pen. §. fin. h. t. n. 7. Assert. 2. Non potest indicendi purgatio Canonica etiam infamato de crimine, si is convinci possit, & per idoneos accusatores, vel testes, vel per alias legitimas probationes crimen publicè probari possit, n. 8. Assert. 3. Non debet alicui indicendi purgatio Canonica, nisi adint verisimiles suspensiones, vel praesumptiones criminis, modò non sit levis suspicio, sed vehemens, n. 9. Unde si Clericus est convictus, vel manifestè confessus se commisisse crimen, repellitur à proprio gradu: si verò id manifestè non probetur, sed est verisimilis suspicio, se canonice purgare debet, c. Si quis. 4. h. t. cit. n. 9. Si infamia alicuius non sit orta ex probabilibus suspicionibus, non est ei necessariò indicenda purgatio Canonica, quamvis possit indicendi ad petitionem purgandi, c. Cum in juventute. 12. h. t. n. 10. & 11. Non potest, nec debet indicendi purgatio Canonica, quando crimen est notorium, ut celari non possit, sed fieri condemnatio, c. Cum dilectis. 15. h. t. n. 12. & declaratur, n. 13. & 14.

§. III. Quae sit forma purgationis, sive quomodo ea fieri debeat?

ASSERTIO I. Si quis accusatus, denunciatus, vel infamatus sit de crimine, idque plenè probari possit, aut vehementer de eo sit suspectus, tum si crimen negat, debet, praestito juramento purgationis, se defendere, & innocentiam suam ostendere, secundum formam, & modum praescriptum in c. Quoties. 5. h. t. n. 15. & declaratur, n. 16. Assert. 2. Non sufficit, si Praelatus aliquis infamatus sit de criminibus, jurare, cum se purgat, quòd sit immunis ab illis criminibus, sed jurare debet, quòd post promotionem suam ad Praelaturam, non commiserit illa crimina, c. 16. & ult. h. t. n. 17. declaratur, n. 18. Et si infamato de crimine, vel vehementer suspecto, deferendum sit juramentum purgationis, ut innocentiam suam ostendat, jurando se crimen tale non commisisse, id

tamen limitari debet, dummodo sit persona nobilis, vel honesta, nam si sit persona vilis, vel infamis, non debet ei deferri juramentum purgationis, c. 1. h. t. n. 19. & 20. Deinde indicenda est purgatio, cum juramento, infamato de crimine, si crimen tantum semiplenè probatum est, ita tamen ut contra reum vehementer sit suspicio criminis, n. 21.

§. IV. Quomodo procedendum sit contra infamatum de crimine, negligentem famam suam, sive se purgare ab infamia?

Si Presbyter infamatus de crimine, post trinam monitionem, se non corrigat, ab officio suspendi debet, quousque se purgaverit, c. 2. h. t. n. 22. & seq. Praeterea potest suspendi infamatus de crimine, non solum ab officio, sed etiam à beneficio, donec se purgaverit: idque propter enormitatem criminis, v. g. haereticus: & augetur etiam ob hoc numerus computgatorum. Interdum verò ex causa post purgationem praestitam suspenditur quis ad tempus, & deficiens à purgatione puniatur ut convictus, c. Inter. 10. h. t. n. 24. declaratur, n. 25. & seq.

§. V. De Computgatorum qualitate, juramento, ac numero.

Quaer. I. Quales debeant esse Computgatores, sive testes eorum, qui se purgant ab infamia criminis? Resp. primò, purgatores debent esse honesti, ac probae vitae, & notam habere vitam, ac mores purgandi: & qui recipiunt purgationem, eis qui purgandis assistere nolunt, nullam indignationem ostendere debent, nec eos impedire, nec permittere impediri computgatores, c. Cum P. 7. h. t. n. 27. & seq. Resp. secundò, Computgatores debent esse personae, non tantum honestae, sed etiam vicinae, quibus nota sit vita, & mores purgandi, n. 29. Qu. 2. Quomodo jurare debeant computgatores? Resp. debent jurare de credulitate, non de veritate, c. De testibus. 13. h. t. n. 30. Qu. 3. Quae condiciones in specie requirantur in Computgatoribus? Resp. quatuor requiri, quae enumerantur in c. Constitutus. 9. h. t. n. 31. & seq. Qu. 4. Quot sint adhibendi computgatores? Resp. Olim Episcopus se purgabat adhibitis XII. Episcopis; Sacerdos 5. vel 7. Sacerdotibus; Diaconus tribus Diaconis. Hodie adhibendi sunt plures, vel pauciores, secundum arbitrium Judicis, n. 33.

§. VI. De effectu purgationis Canonicae, & poenā deficientis in illa?

Quaer. I. Quis sit effectus purgationis Canonicae? Resp. effectus est, ut purgatione legitime peracta, absolvendus sit à suspensione, si praecessit, & ab infamia criminis is, cui purgatio est indicenda: purgatio verò illegitimè facta non tenet, nec absolutio secundum illam facta, c. Ex iuratum. 8. h. t. n. 34. & 35. Qu. 2. An absolutus à crimine, quia se canonice purgavit, possit postea accusari de eodem crimine? Resp. cum distinctione data, n. 36. Qu. 3. Quae sit poena deficientis in purgatione Canonica? Resp. ut habeatur pro convicto, & eadem poenā puniatur, ac si de crimine esset convictus, quae est poena depositionis, sive ut privetur omni officio, & beneficio, n. 37. Sunt & alij duo casus, in quibus deficiens in purgatione habetur pro convicto, n. 38. Hodie ab Ecclesiasticis Judicibus raro Clericis indicitur purgatio canonica, & cur? n. 39.

SERIES

